in reipsa, sed species dissensionis quaeritur in sermone s
causa, quia nonnullis τὸ λίαν ἀκριβὲς nimium
placere videtur. Quasi vero sit utile ac necesse, o-
mnes Evangelii sententias tantum à priori intue
et ad aspectum arcanae voluntatis Dei revocar
Ego de beneficiis mortis Christi et de tota Evang
voce tutius et utilius à posteriore in Ecclesia
disseri judico. Ad desino, ac filium Dei oro, ut
omnes eadem sentiamus et loquamur in verit
Amen. Caetera ex notis Scalae fusius cognosces
Heidelb. Cal. 9bris 1593.

243) Clar. Davidi Pareo J. Sturmius S.

Cum nuper ad Ambrosium redirem, doctissime Theo-
logorum, et quae, ille, de dignitate sacerdotali scri-
psit, relegerem, venit mihi in mentem ordinati-
onis, quam vos senatores Ecclesiastici, summum
Ecclesiarum nostrarum presbyterium in confir-
mandis Pastoribus adhibetis: cujus symbolum, si
rectum memini, solam usurpatis dextrae stipu-
lationem, fidei tesseram, quam futurus Pastor
et Deo et Ecclesiae dat. Verum tamen, vellem
symbolum consecrationis aliud et augustius et
magis necessarium à vobis non omitti, sanctam
illam manuum impositionem, ab antiquitate,
usu, atque exemplis venerabilem. Nam cum in
ista Ministrorum confirmatione mutua inter
Deum et Pastores stipulatio sanciatur, censeo e-
dem, ex parte Dei, cujus vos vicem geritis, cere-
moniam Ordinis istam minime praetermitten-
dam, quam Spiritus S. manuum impositionem
vocat. Ecce tibi hujus sententiae meae et exem-
pla et usum. Divinus Moses, Jehoschuae Duci fu-
turo manus imposuit. Dominus noster à vulgo
rogatus manus suas sanctas puerulis ad benedicen
imposuit

imposuit. Immo idem ab isto mundo migraturus
sublatis manibus discipulis benedixit. Apostolus Timo-
theo manuum suarum impositionem in memoriam
revocat: per quam olim varia in ipsum Sp. Sancti
dona collata fuissent. Idem admonet, ne citò ma-
nus cuivis imponat. Ambrosius denique piè scribit
sacerdotem imponere manum supplicem ac Deum
benedicere manu potenti. Tu itaque homo in
Theologia accuratissimus de isto symbolo cogita
et vellicationi aurium tuarum ignosce.
Vale, fave; XXIII. Maij 1593. Flonborni
Palatinorum

J. Sturmius.

Clariss. Davidi Pareo Himmelius S. 244)

Clarissime vir, Reverende ac colende Prae-
ceptor, liceat mihi, tua pace, denuò, per hasce
literas, aliquid à te petere, in negotio illo, quod
bis terve ante hac tibi exposui. Sanè, colende Domine,
non satis intelligo, quem finem, de tuo et Copperi, hoc est
amicorum meorum silentio, cogitandi facere debeam, quum non parva spes in vobis mihi fuerit,
quae me ita duxit, ut tuto crediderim, negotium
vobis haud ignotum, maximè cura ac cordi esse,
idque eò magis, quod scirem vos quoque non latere,
quid praesens meae conditionis et temporum ratio,
a me solitario postulet, et spem istam, dubio
e tam tempore, non parum stabilivit nunci-
um illud, quod mihi mandasti, per ludimoderato-
rem Ingelheimensem, Johannem Piscatorem
exulem, quem ipsum Domino Praeceptori com-
mendaveram, retulit enim is mihi tuis verbis,
negotium illud bono esse loco, jam verò cum
ex illo tempore nihil quicquam cognoscere potue-
rim de re ista, veram equidem non parum suspe-
ctum mihi fieri incipit silentium vestrûm;